

Marco jungit Colarbasum. Cerdon etiam animæ tantummodo resurrectionem probabat, corporis negabat, ut loquitur Tertull. adversus hæreses p. 110. Hujus hæresin Marcion approbare conatus est. Extitit post hunc LUCANUS, hic per eadem vadens blasphemix genera, eadem, quæ Marcion & Cerdon, docuit. Apelles post hos subsequitur, qui carnis resurrectionem negavit, animarumque solarum dixit salutem, vid. Tertull. l. c. Christum voluit sine carne resurrexisse & in cælum ascendisse, ne scilicet admissa carnis Christi resurrectione cogereetur & nostræ carnis concedere resurrectionem, cum Christus VAS & OBSES nostræ, immo FIDEJUSSOR communis resurrectionis factus fuerit, ille qui est ἀρχὴ καὶ πρῶτότης ἐκ τῶν θεῶν juxta epistolam ad Coloss. c. 1, 18. His annumerantur ab Augustino hæresi 18. CAJANI, hæresi 20. Archontici, hæresi 24. Severiani, hæresi 47. & ab Epiphanio hæresi 67. Hierarchitæ, & à Tertull. de hæres. Ophitæ. Ad horum exercitum referunt Centuriatores Cent. 4. p. 406. Symmachianos, & p. 384. Apollinarium. Kippingius in auctario suo ad Pappi H. E. p. m. 177. inter hos recenset Efrenos, Manichæos, Donatistas, Euthymium, Johannem Philoponum, Almericum Carnutensem, Saracenos, Libertinos &c. Tanta, ipsiq; nominibus suis horrenda adversariorum agmina ingentibus animis variisque moliminibus allaboraverunt jamdudum oppugnare & subvertere Christianorum de resurrectione carnis hujus immotam fiduciam.

§. 12.

De Origine quoque qui alias *Secundus Ecclesie Magister post Apostolos* Hieronymo dicitur, & *Sena millia librorum scripsisse*, quamvis non sine sententiarum dissonantia, quædam circa hanc quæestionem passim circumferuntur. Sunt qui tribuant ei quod docuerit, corpora quidem, non tamen carnem nostram, & quidem corpora & specie & genere à nostris diversa, resurrectura esse, quod juxta 1. ad Corinth. c. 15, 50. *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Imo juxta versum 44 *feminato corpore animali surrecturum est corpus spirituale*. Apud Epiphanium hæresi 64. ex Methodio quædam citantur, unde colligi videtur eum statuisse, resurrectura quidem corpora, cæterum spiritualia, carnis ossiumq; expertia. Apud Hieronymum Epist. 61. corpora in quibus toti visuri sumus, toti audituri, toti ope-

B

raturis